

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis decimâ-quintâ Decembris 1707.

M. JOANNE HERMENT,
DOCTORE,
MEDICO REGIS ORDINARIO,
ET SCHOLARUM PROFESSORE,
PRÆSIDE.

An ineunte morbo vomentibus vomitoria?

I.

VOMITUS ineuntis morbi comes aut præludium, morati ſanguinis, non cumulati humoris indicium, gementis, non operantis naturæ argumentum. Erethiſmi genus eſt, quem invehit, non humorum copia, ſed liquorum mora, ſanguis hærens, non humor exundans; ſecretionis vitium eſt, cujus author non infrequens ſpaſmodica ſecernentis organi anguſtia, ſecernendorum anomalia. Igitur, quod in alvo caſſum egerendi conamen, in veſicâ micturitio, in pectore tuſſis, ſimile quid videtur aſſidua vomendi cupitas. Ventriculi teneſmus eſt; hanc enim publicam fieri atque generalem vocem, quid vetat, quæ ſiccas quaſvis, aut irritas egeſtiones deſignabit? Ut ut ſit, rem intelliges, ſi memineris criminis alieni pœnas non infrequenter à ventriculo lui. Concuſſu cerebrum, phthiſi pulmones, jecur inflammatione, obſtructione lien, nephritide renes laborant? Vomitat ventriculus. Veſica dolet aut inflammatur? con-

2

vellitur aut tumet uterus? convoluuntur inteſtina? Vomitio ſuccedit. In cauſa eſt ſtomachi ſors aut conditio. Commune viſcus eſt, pars publica, quæ ut ſibi minùs ſeruit, quàm cæteris; ſic omnium damna ſentit & pœnas. Reſonabilis eſt univerſi corporis Echo, reſpondens omnibus, omnium concuſſionibus nervorum, omnibus ſpirituum undulationibus & oſcillationibus reſultans. Poſt hac, vomitum vomitui addes? vomentes vomere jubebis? Currenti equo calcaria addere eſt, præcipitique malo ſtimulos. Poſita enim malè eſt vomitionum cauſa, quæ aliunde, quàm è ventriculo venit, ſedibuſque remotis debetur. Naſcentibus potiſſimùm morbis turbata ſuſpenſa ve liquidorum cum ſolidis commercia, motus non dant, ſed tumultus; tam inſidioſos quàm multiplices, quò plures enim ſimul impetuntur partes, quibus præcipuè medela paretur. Hinc inconſpicuum, magis, cui primùm ſuccurratur.

II.

MALORUM cumulum addes, ſi morbum pepererit ſanguinis flamma. Quid autem, ſi hæc ipſa ſit graviſſimorum morborum fomes, peſſimorum ſymptomatum ipſarumque vomitionum cauſa? nùm hîc quoque vomitoriis locum dabis? ſed fortè, an in ſuſpicionem tibi venient cæca morbi malignitas, humores numquam coctibiles, turgentes ſucci, ſerum oberrans? Phalerata dicta! quaſi iſthæc vomitoriis curari amarent. Malignitas frequens minùs, quàm decantata, medici dexteritatem ut plurimùm poſtulat magìs quàm dexteram; manum minùs quàm animum. Turgentes, tumultuantes, & intractabiles ſucci vomitioni tam inepti ſunt quàm coctioni. Sed aiunt ſubeſſe humorum ſaburram intrà primas vias coërcitam; porrò tali, ut communi & publicæ morborum cauſæ vomitorio opus erit; Eſto; ſi reverà ſubſit, ſi febrem faciat ſi Achillæo egeat præſidio: verùm ad manum ſunt, quæ humores, qui ſic in viâ ſunt & in proclivi, facilè pellant.

III.

QUID ergo conſilii? quid remedii? ne vomitionum tormentis miſerè ſuccumbat æger? intelliges, intellectis ſolidorum ſymmetriâ, liquorum curſu, ſenſu nervorum, ſpirituum motu. Infirmo talo ſingula hæc fulta putas? confirmant principum artis conſilia, obſervatio, uſus. Medicinæ patribus compertum fuit, diluentibus, anodynis, mulcentibus, venæ ſectione, compeſci vomitiones; ſed iis omnibus concordant partium corporis mechanicæ leges. Hominem concipitò bene ſanum & incolumem; hunc inopina corripit febris, peripneumonia, pleuritis, vomitionibus ſtipata. Harum cau-

sas quæris & auxilia ? in promptu sunt. Sanguinis excursus & undas (quæ pulsu æquali, placido, regulari, ad habitum corporis & viscera modò ferebantur) illicò intercipi putes alicubi & interturbari ; liquidorum & sanguinis vortices misceri, necesse est concipias ; sanguis enim objecta sibi sentiens repagula in se revertitur, turbatur, coërceturque corporis centro : stagnatione suâ & mole viscera premit, morâ, lentore, fatigat; vitio & acore lacessit. His omnibus suâ vasorum & nervorum multitudine maximè patens ventriculus singulorum sentit incommoda, vellicatus insurgit, tandem expedire se vomitando nititur. Sanguinis tumultum misso sanguine compescis, diluentibus dilüis, mulcentibus sedas, verbo, liquidis suum ordinem reddis & seriem, suam solidis agilitatem & mollitiam, restitutoque sanguinis circulo, vomitio cum febre evanescit. Hanc ergò tibi dicas legem, sinceras à veteribus inventas fuisse morborum indicationes; à recentioribus veras indicationum causas, tutas in tantùm & laudabiles, in quantùm post inventam medicinam feliciter quæsitæ sunt & feliciùs inventæ.

IV.

PERPLURA sunt, si alios audias, quæ hìc vomitoria commendent ; observata nempe plùsquàm vulgaria, multi nec infelices vomitoriorum eventus, multiplicia curationum miracula, medendentium exempla. Hic acutissimo lateris dolore laborans, quem gravabat in primìs cum tussi & sanguinis sputo, assidua vomendi cupiditas, emetico præproperè oblato, velut incantamento convaluit. Nauseabat alter sub primis peripneumoniæ initiis, sanguinemque plenis fundebat buccis; talem exinaniri sanguine jussissent vulgares Medici, quem ab orci faucibus vomitorium eripuit. Tertium ex febre malignâ vomitantem missis cardiacis vulgarium remediorum ludibriis, emetici iterata dosis illicò sanavit. Narrantem deficeret tempus de nephriticis colicis & dysentericis vomitionibus, quas compescuit ex arte instituta vomitio. Aliud cogitabis remedii genus præsens aut catholicum magis ? aliud invenies, quod missis fastidiosæ methodi ambagibus, citiùs, & jucundiùs curet ? profectò hoc in uno totam artis industriæ summam locare, ægrorum solatio vacare est, artisque compendio studere.

V.

ITA sanè, si ea quæ de suis arcanis effutiunt & pollicentur medicastri, æqualia non essent aut majora portenta. Sed illius erroris fons est, usûs aut experientiæ præpostera intellectio. Arti fidem dat ille usus, qui universalis, qui consonus rationi, qui naturæ respondens, qui

indubitatus eſt, qui confeſſus; demit, qui ſingularis eſt, nuperus, anceps, futuri ambiguus, controverſus. Porrò illas certitudinis notas, hæc inſignia, ſola meretur & affert antiquitas, veritatis index. Abſit tamen credideris, id unicé tibi adoptandum quod antiquum eſt aut à veteribus traductum. Veterum ergò inventis addas, conceditur, ſed quæ ejuſmodi ſint, ut, dum noſtra implent vota, nepotum ſpondeant, cogantque ſuffragia. Sed hæccine eſt vomitoriorum conditio, quæ vomitionum aut nauſeæ pretextu, medias inter partium inflammationes quotidie imperantur, ipſa inter ſanguinis incendia ? externa hæc inventiuncula eſt, priſcis indigna temporibus, patribus intentata, nepotibus ejuranda. At tamen temerarii non eſt Medici interdùm emetica tentare; non enim fucum faciet de vomitu vomitui addendo divini ſenis effatum. Locum obtinet, ubi ſanguis hæret ſine febre, lenteſcit ſine ardore, ſtagnat ſine dolore. Ubi vomitiones facit, non bilis æſtuans, ſed ſerum exundans, non ſalſus, ſed multus humor, non fictitia ſuccorum malignitas, ſed vera putredo. Ubi viſcera gravantur, non punguntur, gemunt, non convelluntur. Iis conditionibus poſitis, vomitum vomitui addere ſana res eſt; demptis, piaculum.

Non ergò ineunte morbo vomentibus vomitoria.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Petrus Tonnellier.
M. Joannes Gaillard.
M. Matthæus-Dionyſius Fournier.
M. Carolus Thuillier.
M. Carolus Bompart, Rei herbariæ & univerſæ materiæ Medicæ Profeſſor.
M. Nicolaus Andry, Profeſſor Regius.
M. Joannes Boudin, Sereniſſimi Principis Delphini Primarius Medicus.
M. Guydo-Eraſmus Emmerez.
M. Michaël de Hodencq.

Proponebat Pariſiis MICHAEL PROCOPE COUTEAUX, Pariſinus, Baccalaureus Medicùs. A.R.S.H. 1707.

Typis Viduæ Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.